



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Sebastiani Henrici Penzingeri, Consistorialis  
Passaviensis, Decani, & Parochi in Trauttmanstorff ad  
Laitam Bonus Ordo Triplicis Formatae Concionis Moralis In  
Omnia Festa Sanctorum In Amplissima ...**

**Penzinger, Sebastian Heinrich**

**Solisbaci, 1698**

Concio Tertia. Textus: Angeli eorum &c. Thema: Summo zelo S. Angeli,  
nobis patrocinantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51763](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51763)

IN FESTO S. MICHAELIS  
ARCHANGELI.

CONCIO TERTIA.

*Textus.* Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui  
in caelis est. Matth. cap. 18.

*Thema.* Summo zelo, & charitate S. Angeli nobis  
patrocinantur.

*Exordium,*



Ngelos alatos se conspexisse describit Isaias cap. 6.  
Academicus Angelo alato subscribit: *Amor* addidit  
alas; atque promptitudinis animi effectus signant;  
amor immensus, quo nobis S. Angeli addicti sunt, ac  
facit eos alatos, zelosissimos, affectuosissimos, ac

*Patres.*

promptissimos erga nos. Audiamus Patres: *Vide quanta sit An-*  
*gelorum charitas, qui in caelo empyreo creati, tanquam in loco*  
*sibi convenienti, & apto divinae contemplationi, pro divina de-*  
*dentia, & charitate ad proximum, habitant nobiscum in terra,*  
*in loco obscurissimo, si caelo empyreo comparatur.* scribit S. Bona-

*S. Bonavent.*

ventura Serm. 1. de Angelis. *De excelso caelorum habitaculo,*  
*ad consolandos, visitandos, & adjuvandos nos, attrahit superem-*  
*nens charitas Angelos.* ita S. Augustinus tom. 9. cap. de dili-

*S. Augustin.*

gendo Deo: & Serm. ad fratres: *Ipsi sunt, qui pro nobis contra*  
*demonas pugnant, & victoriam obtinent, ipsi sunt, qui valde nos*  
*diligunt. Angeli boni prouiores sunt ad adjuvandum, quam*  
*Demonas ad infestandum, aliqui Demonas nunquam cessant ad*

*Abulens.*

*infestatione hominum usque ad mortem, ergo neque Angeli custo-*  
*des cessant aliquando in custodia hominum.* docet Abulensis  
quasi.



quasi, 69. in cap. 18. Matthæi. *Semper suadent bona, ad orandum provocant, excitant ad compunctionem & fletum, Dei scientiam ingerunt, timorem filialem docent, pacificant mentem, cogitationes ordinant, spei infundunt dulcedinem, occulta pandunt, custodiunt unitatem, legis instruunt observare mandata, obtemperare Deo, subesse majoribus, pacem diligere, humilitatem sectari, & cuncta odisse, quæ norunt repugnare virtuti.* ita S. Laurentius Justinianus cap. 16. de vitâ solitaria. *Propter nos laborant, circa nos curstant, hoc est, eorum ministerium propter nos in omnes partes mitti.* S. Chryostomus hom. 3. ad Hebræos. *Mirâ humilitate nobis condescendentes, omnem exhibent sollicitudinem, ut tandem cohæredes, & consortes ipsorum efficiamur in cælis.* S. Joannes Damascenus lib. 2. fidei orthod. cap. 3. *Fidelis Paranympus (de Angelo custode loquitur S. Bernardus Serm. 1. de Angelis) discurrit medius inter dilectum, & dilectam, vota offerens, & referens dona, excitat istam, placat istum. Angeli nostros sudores, non suos, nostras, non suas lachrymas offerunt Deo, nobis quoque ejus munera referunt. Et iterum: Ipsi amant nos, quia Christus nos amavit. Et Serm. 77. in Cantica habet: Bene tecum agitur in loco peregrinationis tuæ, de cælo, de terrâ, venit tibi auxilium; qui custodiunt te, non dormitant, neque dormiunt custodes tui, Angeli sancti, vigiles tui Spiritus. Tandem concludit Bernardus Serm. 2. in Vigilia Nativitatis: Quantum putatis, desiderant cives cælestes instaurari civitatis suæ ruinas? quomodo discurrunt medii inter vos & Deum, fidelissimè reportantes ad eum gemitus nostros, & ipsius gratiam nobis devotissimè reportantes. Plane non dedignabuntur, ut simus eorum socii, quoniam ubique instruunt, in cunctis nos protegunt, nostrum adventum expectant ad cælum, & sede paradisi nos replere affectant, ipsi sunt sanctissimi Spiritus, qui nobis dormientibus custodes assistunt. Quis existimet, quantâ charitate & curâ circa commissos sibi vigilant, quomodo torpen-*



*Richardus à S. Victore.* *tes excitant, & sollicitos atque ferventes amplius accendunt: quomodo hinc mala excusent, inde bona divino conspectui representent, quomodo defendant, aut his gratiam obtineant: perorat Richardus à S. Victore in Cant. cap. 4. Totum quantum ad nos officium Angelicum est, ut defendant nos à malo, & conservent in bono. Abbas Cellensis. lib. de mysti. exposit. tabern. Angelus te pramunit à fronte, & à tergo custodit, & nihil utrimque incustoditum relinquit. scribit S. Basilius hom. in Psalm. 33. Per hunc mundum caelestium virtutum quotidie multitudo discurret, quae nobis auxilii manus in certamine porrigit, neque enim versutia tam callidi tam exercitati hostis posset fragilitas resistere, nisi eum à tentationibus electorum virtus Angelica propulsaret. praedicat Petrus Damianus, lib. 8. ep. 17. Invocata de super S. Spiritus gratia Conceptus audire libeat.*

### CONCEPTUS I.

*Confirmatio.* S. Joannes Evangelista, Apocalypf. cap. 5. narrat: sibi Angelos Dei instar perspicacissimorum oculorum esse demonstratos: *Et vidi, & ecce in medio throni &c. Agnum stantem, tanquam occisum, habentem oculos septem, qui sunt septem Spiritus DEI, missi in omnem terram.* Ergo oculis comparantur S. Angeli? cur oculis? oculo Academicus inscripsit Lemmata: *Dux est, custosque corporis; item: Perdita invenit.* Oculis comparantur sancti Angeli; nempè uti oculi ducunt, & dirigunt corpus, ita S. Angeli dirigunt vias nostras, ne offendamus, impingamus, ne peccemus. Ita concludit S. Thomas part. 1. quæst. 113. art. 4. *Sicut hominibus per viam non tutam ambulanti bus saluberrimi ductores adjunguntur, ita & cuiusvis homini, quamdiu viator est, S. Angeli velut ductores fidelissimi sociantur, ut per eosdem, à latronum infernalium insidiis protegantur.* Testatur hoc ipsum Judith cap. 13. *Angelus Domini custodivit me, & hic euntem, & ibi commorantem, & inde huc revertentem, & non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari.* Tobias Junior felix suum



suum iter adscribit Angelo Duci: *Me duxit, & reduxit. c. 12.* Oculis Academicus & hoc Lemma adneſcit: *Perdita invenit:* nempe medio oculorum invenimus, quæ perdidimus: sic Angelis mediantibus auxiliantibus, per peccatum deperditam gratiam, iterum invenimus, recipimus: *Non dimittet cum peccaveris. Semper suadent bona, ad orandum provocant, excitant ad compunctionem, & fletum;* inquit S. Laurentius Justini. cap. 16. de vitâ solit. & iterum cap. 5. de vitâ monasticâ: *Si ignorant, docent nos, si cadunt, erigunt, si pusillanimes efficiuntur, sanctis exhortationibus roborant, & accendunt, & quâ parte humanâ curvatur iniquitas, eâ parte se opponunt casuris.*

## CONCEPTUS II.

Citatus S. Joannes Evangelista, Angelum, qui sibi mira Apocalypſeos demonſtraverat, vidit: *Præcinctum ad mamillas.* Cur præcinctum videt? explico me moralitate: cogitat quis sedulo aliquam rem perficere, ad hunc finem præcingit se; sic videmus, quod laboriosi rustici ad opera sua, & labores, humeros præcingant, causa; ut expeditius operi, & labori suo incumbere possint; est quis itinerans, videmus, quod vestes præcingat, curtet, atrahat, ut aptius progredi, non tam ire, quàm currere valeat: opus Angelorum est, homines custodire, & tueri, ita Paulus ad Hebræ. cap. 1. *Omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi eorum, qui hereditatem capiunt salutis.* Accinctum ergo vidit Joannes Angelum, ad indicandum; quam in munere suo, nos custodire, nobis patrocinari, expediti, celeres, veloces sint S. Angeli, plus eos currere, quàm ire, magis volare, quàm ambulare in nostrum adjutorium: Expertus Daniel capite 9. *Cum adhuc loquerer, & orarem, & confiterer peccata mea &c. ecce vir Gabriel &c. citò volans, tetigit me.* Volasse Angelum ad Danielem, velocitatem, & promptitudinem affectûs denotat, ad quid ergo addit, *citò volans:* utique ut exprimeret, quàm zelosi, charitativi, erga nos sint Angeli Dei. Citò citissimè nobis succurrunt,

(N n) 3

currunt,



currunt, nos adjuvant. *Vix audierunt vocem divini praecepti, statim faciunt verbum ejus, ut quamvis divini verbi praeceptum antecedit, tamen tanta illorum in exequendo velocitas, & intensio est, ut nescias pene, quid prius est, vocis sermonum Dei, an illorum in exequendo velocitas.* ita de S. Angelis scribit S. Augustinus in Psalm. 102. *Ministrantium ordinibus injunctum est particulare hoc regimen univrsum, et quod perseverandum non tabescunt tadio, nec labore succumbunt.* perorat S. Laurentius Justinianus Serm. de S. Michaelis.

### CONCEPTUS III.

Moyfes in descriptione mundi creationis, Angelos nominè lucis comprehendit: ut commentatur S. Augustinus: Psalmista etiam Regius Psalm. 103. Angelos, lucem, & ignem intitulat: *Qui facis Angelos tuos Spiritus, & ignem urantem:* cur sub nomine lucis, solis, ac ignis, Angelos Moyfes intelligit? Sol est celerrimus, ab oriente patet usque ad occidentem, luci solis Academicus inscripsit elogium: *Omni, in omnibus servit:* servit lux in legendo, in scribendo, in laborando, & ludendo; lucis nomine ergò comprehenduntur Angeli: *Omni, in omnibus servientes, patrocinantes quàm velocissimè, quàm zelosissimè;* servivit sic Angelus Isidoro Agricolaë in arando; ancillæ Sitæ nomine, in pane pinfendo; servivit Angelus Deodomodo, ad altare ministrando; Codrato, eum patris, ac nutricii instar, pascendo; Onuphrio, ad sex milliaria viam demonstrando; S. Joanni à Deo, ad incisionem venæ, pelvum tenendo &c. Verissimè S. Bernardus in cap. 1. Cantic. *Anima nusquam est sine angelicâ custodia.* Et Anastasius Synaita habet lib. Exhameron: *Superna potestates valde,*



valde, & vehementer diligunt, ac protegunt humanum genus, & pro eo orant, ac intercedunt. Adest unicuique nostrum, etiam minimo, qui sunt in Ecclesiâ Dei, Angelus bonus, Angelus Domini, qui regat, qui moneat, qui gubernet. docet Origenes in Num. hom. 66.

## CONCEPTUS IV.

Jacob Genes. 28. Angelos DEI vidit in scala ascendentes, & descendentes: *Viditque in somnis scalam, stantem super terram, & cacumen tangens cælum, Angelos quoque DEI ascendentes, & descendentes per eam.* Quæstio hic duplex oritur, prima, quid hic ascensus & descensus significat? Secunda, Angeli cœli cives cur prius de terrâ ascendere, quam descendere de cœlo, narrantur? ad primam quæstionem respondens, explico me moralitate: Est quis in officio præfecturæ, commissam sibi habens teneram juventutem, hic sedulus instructor, ac curator, indefinenter jam gradus ascendit, jam descendit, commissi sibi clientis, vigilem curam gerens. Nos mortales Angelorum curæ à Deo optimo commissi sumus: *Ecce ego mitto Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in viâ.* Exodi 23. Angeli ergo ut solliciti præfecti nostri, inquietè jam ascendunt, jam descendunt: *Vidit ascendentes & descendentes, nullum eorum stantem aut sedentem, sed semper vigilant in opere salutis nostræ. Ascendunt Angeli nostras orationes ad DEUM deferentes, quibus suas intermiscunt; descendunt cum diviniæ misericordiæ onus ad nos ditandas veniunt.* scribit S. Bernardus Serm. 19. in Cantica. Ad secundam quæstionem pariter respondeo, nempe cur Jacob Angelos prius de terrâ ascendentes, quam de cœlo descendentes dicat? Angeli sunt cœli cives, prius ergo descendere, quam ascendere videri debuissent, vidit prius Angelos ascendentes, quam descendentes, ad innuendum, Angelos tam zelosos, promptos, veloces esse in serviendo nobis,



bis, ut quasi amore nostri cœlestes deserant mansiones, nos adjuvantes, nobiscum plus & magis morari in exilio videntur, quàm in cœli deliciis, plus nostram salutem, quàm suam felicitatem, curantes, & æstimantes.

### CONCEPTUS V.

Genesis 18. legitur, DEUM amandâsse tres Angelos, ut ob nimia scelera Sodomam incinerarent, in itinere ad Abraham divertunt, & commissionem quam explendam habent, ad amissim Abrahamæ exponunt, ac narrant: *Nunquid celare patero Abraham, quæ gesturus sum? &c. clamor Sodomorum & Gomorræorum multiplicatus est, & peccatum eorum aggravatum est nimis. &c.* Non legitur Angelos in commissione habuisse apud Abraham divertere, Abraham, quid facturi sint in Sodomis, enarrare. Cur ergo divertunt apud Abraham? cur seriem devastationis Sodomæ narrant? respondet Cajetanus: *Ut Abraham daretur occasio deprecandi.* Narrat ergo cladem Sodomæ imminentem, ut commiseratione motus, preces ad DEUM pro salute Sodomæ profundens, iratum numen placaret, sicque horribile ignis supplicium Sodomitæ effugerent, illæsi conservarentur. Quàm benè Abbas Cellensis: *Tantum quantum ad nos angelicum est officium, ut defendant nos à malo, & conservent in bono.* Patet ulterius ex ill. Genes. cap. 19.

### CONCEPTUS VI.

Angeli hi Abrahamæ hospites gratiosi, licet aliàs velocissim Spiritus, tardè tamen, & circa vesperum primum Sodomam deveniunt. Audite textum: *Veneruntque duo Angeli Sodomam vespere, sedente Loth præ foribus civitatis.* Quæ causa, quod tam tardè veniant Sodomam? & dein cur tantum duo hic adsunt



sunt Angeli, cum tres apud Abraham divertentes, Sodomam versus abiverint? cur moras protraxerint Angeli, & tardè jam ad vesperam Sodomam devenerint, causam allegat Lyranus hic: *Tantum tardaverunt, ut viderent, si parceret terra, propter preces Abrahæ, quia erant Angeli boni expectantes.* Noverant Angeli justum esse Abraham, & justas preces apud DEUM maxime valere, propter unum justum precantem, urbi, & orbi DEUM parcere solere, cum ergò ad precandum pro Sodomitis jam jam Abrahamum commoverint, expectant usque in vesperam, num DEUS placatus Sodomitis parceret, & condonaret. Ad Abraham divertunt tres, in Sodomam tantum duo devenerunt, causa sit: Abrahæ veniunt elargiri gratias, & hic plures adsunt Angeli, Sodomitis veniunt ex justo DEI judicio infligere poenas, & hic pauciores comparent; ad gratias, ad dona elargienda, ad nos juvandos adveniunt Angeli copiosi, ac plurimi, ad puniendum hominem comparent pauci, ac tardantes; amant & satagunt, & properant prodesse; indolent, & cunctantur nocere, etiam ex justo DEI judicio.

## CONCEPTUS VII.

Ob peccatum Davidis immisit DEUS pestilentiam in Regnum: Et mortui sunt ex populo à Dan usque Bersabee 70000. virorum. 2. Regum cap. 24. Rectè tunc David apparuit Angelus Domini, *juxta aream Areuna Jebusai.* Cur juxta aream Areuna? hunc locum determinaverat Deus, in quo altare nomini suo exstructo reconciliaretur; adest ergò ex tempore Angelus, quod verbis non licet, nutu, & signo demonstrat, locum inquam ac remedium, quo iratus Deus à sæviante justitiâ, ut desistat, placari possit; ita super citatum textum commentatur Sanctius: *Angelus cum haberet in ultrice dexterâ cruentum gladium, peccatorum incolumitati consuluit, & quâ ratione istum vel declinet, vel eludat, admonet.* Apud sæculum sæpè destinati ministri ad æquitatem tuendam, evadendi, reos edocent viam. Quod ergò faciunt tribunalia sordido cupidita-

Pars II.

(O o)

tis



tis studio, fecit Angelus laudabili salutis hominum desiderio. Dolebat Angelus hominum stragem, divinis sic obtemperabat jussis, penes & dolori suo providebat medelam; offerre consuluit Domino sacrificium, quo sedaretur Numinis ira, & cessaret propitiato Numine plaga. Tantum amant, tantum zelant S. Angeli salutem hominum. Omnibus modis student ocios mederi, juvare, prodesse, ac patrocinari.

*Epilogus.*

Cum S. Bernardo Serm. in Psalmum 12. hortatos cupimus: *Simus devoti, simus grati tantis custodibus, redamemus eis.* Et iterum in Pl. qui habitat: *In quovis angulo, Angelo tuo reverentiam habe &c. quia adsunt, ut prosint.*  
Amen.

